



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

228. An in exemptio regularium non solvendi decimas prosit
communicatio privilegiorum, qua inter se gaudent regulares? Ex p. 10. tr.
12. & Misc. 2. r. 50. aliàs 49.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

De Dubiis Regularium. Ref. CCXXVIII. 145

que Palauis, cui adde ex eadem Religione Fragosum in Rep. *Christi*, tom. 2. lib. 4. *disput.* 2. §. 6. *num.* 112. & sequentibus.

Nota tamen quod post hæc scripta promulgatum est Breue Sanctissimi D. Noltri Innocentij Decimi sub die 14. Maij 1648. vbi plura definiuntur circa Conservatores ex causa litis supradictæ, inter Patres Societatis, & Episcopum Angelopolitanum; idem Lectoribus illud legendum remitto.

RESOL. CCXXVIII.

An in exemptione solvendi decimas pro sit communicatio privilegiorum qua inter se gaudent Regulares: Ex p. 10. u. 11. & Milc. 2. Ref. 50. aliis 49.

1. Negatiue ex multis Decisionibus Sacre Rotæ respondet Trullench in *Decalogo*, to. 1. *lib.* 3. c. 3. *sub.* 1. n. 4. vbi sic ait: Hinc fit, vt quando Papa communicat Privilegia alicuius Religionis, in quibus adest expressa mentio à solutione Decimarum, alteri Religioni non censeri etiam communicasse exemptionem à solutione Decimarum, nisi de hac exemptione fiat specialis mentio, cum difficulter concedatur. Ita Barbosa de *Iure Eccl.* 3. c. 26. §. 3. *num.* 41. cum Felino in *cap. Sedes*, *numer.* 3. de *Rescript.* & alij, Ita Trullench.

2. Verum affirmatiuum sententiam mordicus tenet Ioannes de la Cruz, in *Epit. Priuil.* 2. c. 6. Raphaël de la Torre, in 2. *tom.* 1. q. 87. *disp.* 1. n. 5. & Doctus, & amicissimus Pater Lezana in *Summa*, tom. 2. *verb.* Decima, *quoad Regul.* n. 8. vbi hæc ait: Sed quia hic communiter affert solet communicatio privilegiorum aliarum Religionum, ita vt in hac materia, sicut in aliis de sententia communicatio privilegiorum, quam aliquæ Religiones habent, obliuiscendum quarto, Sanctam Rotam in vna Valentina anni 1603. supra relata decidisse, privilegium eximens à solutione Decimarum non comprehendit in generali communicatione privilegiorum vnius Religionis aliis facta, nisi expressè fiat mentio talis privilegij, etiam si inter privilegia communicata ad sit aliquid quod non contineat aliud quam exemptionem à solutione Decimarum. Cuius decisionis duplex assignatur ratio, quia, quod in communicatione generali non veniunt ea, quæ vel non concedi solent, vel magna cum difficultate conceduntur. Secunda, quod nec conceduntur ea, in quibus agitur de præiudicio tertij, talia enim privilegia debent strictè interpretari. Sed quamuis multum deferendum sit huiusmodi Sanctæ Rotæ decisionibus & quia à vicis sapientissimis, & magna adhibita diligentia factæ sunt, nihilominus rationes adductæ non videntur valde efficaces, non quidem prima; quia huiusmodi privilegium exemptionis, non raro, sed sæpius, nec magna cum difficultate à Sede Apostolica concedi solet in Religionibus, vt patet in intuitu privilegia. Nec secunda, quia doctrina illa intelligi debet, quando recta ratio non dicitur contrarium, vt quando agitur de causa pia, & religiosa maxime concernenti utilitatem totius Religionis, aut Monasterij, vt in præsentia. Tunc enim privilegia quamuis contraria commune sunt, & in præiudicium tertij ampliari debent. Quia, vt bene Iuriconsultus in *leg. Sunt personæ*, ff. de *Religiosis, & sumptibus funer.* Summa ratio est, quæ pro Religiosis facit. Suarez de *Legibus*, lib. 8. c. 27. n. 7. Sanchez lib. 8. de *Matr. disp.* 1. n. 13. Quare sub aliorum censura non video rationem sufficientem, quare in aliis materiis subsistat communicatio privilegiorum, quæ Religiones habent, non verò in ista. Hincque Lezana, cui etiam adde Philippum de la Cruz, in *de Decim.* §. 2. n. 8.

Tom. VII.

3. Sed nouissimè in hac difficultate vitur distinctione Leandrus, de *precept. Eccl. tract.* 6. *disp.* 6. q. 46. & ita asserit, quod duplici via possunt communicari à Pontificibus privilegia alicuius Religionis alteri. Vno modo, per modum simplicis communicationis, per clausulas generales, & communes; Alio modo, per modum concessionis eorundem privilegiorum, specificè & particulariter, hoc est per clausulas específicas, particulares, veluti nobis communicauit privilegia Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, Canoniorum, & Clericorum Regularium Societatis Iesu, & aliarum omnium Congregationum, & Religionum, Urbanus VII. Si ergo, primo modo communicat Pontifex privilegia alicuius Religionis, in quibus ad sit exemptio à decimarum solutione alteri Religioni, dicendum est non censeri communicasse exemptionem à solutione Decimarum, nisi de hac exemptione fiat specialis mentio: quia cum id sit difficilis concessio, non venit in generali concessione. Et in hac consideratione habet verum quod docent Authores primæ sententiæ, & Decisiones Rotales. Si autem secundo modo communicat Papa privilegia, in quibus continetur exemptio ab onere decimarum, dicendum est, etiam censeri communicasse exemptionem ab onere decimarum, quamuis de hac exemptione specialis mentio non fiat cum specificè, & individualiter, ac nominatim per modum concessionis, eadem privilegia in quibus talis exemptio à solutione decimarum continebatur concessa fuerint. In quo sensu, ad minus verissimum est, quod Authores Secundæ sententiæ affirmant. Nec contra nostram responsonem obstat quid fundamentum contrarium, videlicet quod debeat fieri de hac exemptione specialis mentio, cum difficulter concedatur. Nam respondetur primo: quod hoc habet verum quando communicatio privilegiorum, in quibus continetur exemptio à solutione decimarum fit per clausulas generales, & communes, non vero quando fit per clausulas speciales, & particulares, cum hæc aliquid speciale, & particulare debeant operari. Secundo respondeo: quod dicta doctrina subsistat, si alias (præter exemptionem datam) in breui communicationis non dicatur, quod communicantur omnia privilegia, etiam illa quæ sunt speciali nota digna, difficultique concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt, &c. Et hæc omnia docet Leandrus *vbi supra*. Vnde vidisti, amice Lector, opinionem Sacre Rotæ circa hanc difficultatem, non esse communiter receptam, & illam absolute reprobata nouissimè Pater Hieronymus Garcias, *Polit. Regular.* tom. 1. *tractat.* 8. *difficultate* 4. *sub.* 2. *punct.* 4. *numero octauo*. Sed ego non recedo à sententia Sacre Rotæ, quam tenet etiam Merolla *tom.* 3. *disputatione* 6. *capite* 4. *dubio* 8. *numero* 74. quia in generali communicatione non veniunt privilegia aliis præiudicialia.

In *Tract.* 12. in *fine*, *Resolutione Quadragesimana*, hæc imprimantur.

4. Confirmatur hæc opinio ex Bulla Pij V. data Romæ die vltima Iunij anno 1570. quæ incipit *Ad perpetuam rei memoriam*, &c. in qua apparet apertè, Summum Pontificem tam benè affectum erga Regulares declarare, Privilegia communicatiua Regularium pro exemptione à solutione Decimarum, Primitiarum, quartæ medietatis, vel quæ funerum, & obligationum partem, aliamque temporalitatem concernunt, reuocata, cassata, irrita, euacuata, annullatæque existere, ac nullatenus suffragari, & solum proficere quoad spiritualitatem. Bullam hanc inuenies per extensum in Pastoralis interno doctissimi, & amicissimi viri Didaci N Antonij

Antonij Frances *part. 3. vol. 2. numer. 55.* ubi firmat Regulares per communicationem non posse gaudere privilegio ab exemptione Decimarum, & post adductum Breve Pontificum sic asserit: Patet ex mente Pij V. Privilegia communicativa Religionum, intelligenda fore, & valere respectu spiritualium rerum, non vero temporalium; in quo sensu intelligo, quæ diximus aliquoties in prima parte huius libri de communicatione Privilegiorum vnius Religionis in alteram, quoad temporalitatem, secundum subiectam materiam; ibi scilicet, quoad facultatem absolvendi in voto interno, vt in *tract. 2. quest. 3. num. 8.* & in aliis locis quapropter non sunt admitendi Doctores; qui absolute, & indistincte tradunt, omnia Privilegia concessa vni Religioni, influere in alias cum quibus communicat, quia hoc intelligi debet non absolute, sed cum grano salis scilicet, quoad spiritualitatem, non vero quoad temporalitatem; propterea est solutio Decimarum, Primitiarum, quartæ medietatis, & his similia, vt palam, & manifeste (explicando suam mentem) decrevit Pius V. in supradicta Constitutione, quæ videtur declarare omnes illas, quas tradit Barbosa de *communicatione Mendicantium & aliarum, Religionum, in tr. de vniuers. iure Eccl. lib. 1. a. 4. 1.* ferè per totum, præcipuè *n. 2. 18.* cum pluribus sequentibus, & ita privilegia communicatiua inibi ab eo relata intelligenda veniunt respectu spiritualitatum & non vltra. Hucusque Frances.

5. Nota verò hic obiter, quod nouissimè Pater Vincentius Tancredi de *Relig. tract. 1. lib. 2. disp. 7. quest. 1. numer. 7.* adducit plures Resolutiones Rotales, & Regni Siciliae in fauorem inlyctæ Societatis I. E. S. V. non obstantibus Bullis fel. mem. Leonis XI. & Urbani VIII. modificantibus eius privilegia circa Decimas. Vnde ego optarem, Sacram Rotam in facti contingencia maturius rem totam discutere, vt in posterum amplius non remaneret difficultas circa præsentem materiam.

RESOL. CCXXIX.

An exemptio Regularium non soluendi decimas extendatur ad bona empti, donata, locata, & in emphyteusim habitata? Ex part. 10. tractat. 12. & Milc. 2. Relol. 5. 1. aliis 50.

§. 1. **A**D hoc dubium sic respondet Castrus Palus, *tom. 2. tractat. 1. 2. disputation. unica, punct. 12. numer. 8.* dubitari possit de bonis, quæ Religiosi habent locata, conducta, vel in emphyteusim, an ex illis decimæ debeantur. In qua quæstione si privilegium concessum sit sub illis verbis iuris: Non soluant decimas de suis agris, vel: Non soluant decimas laborum suorum (hoc est agrorum) ita enim intelligi debet, vt constat ex verbis sequentibus quos propriis manibus, & sumptibus colunt, cum solum agri colantur, & non labores: certum esse debet sub his verbis non comprehendí agros conductos, aut in emphyteusim acceptos, quia ipsi non sunt proprii, neque sui; quod expressè videtur definitum ab Alexandro III. in *cap. Dilecti*, cum dixerit, sub illis verbis, quæ referuntur *cap. Decimas 16. quest. 1.* non fuisse intentionem suam, neque Antecessorum suorum agros conductos, & receptos ad formam comprehendere. Ita Panormitanus in *cap. Dilecti*, Rebuffus, *quæstione 14. numero 52.* & communis. Video tamen Ioannem Azorium *tom. 1. libro 7. quæstione 6. §. 2.* affirmare, si privilegium dicat: Eximimus Religiosos à decimis soluendis ex prædiis quæ habent, comprehendí prædia conductitia, quia hæc etiam habentur, licet non vt propria Suarez *titulo 2. de Religione libro 1. capite*

19. numero 111. & si ad prædia accepta in emphyteusim extendat privilegium sub opinione probabilis, quia emphyteusis distinguitur à locato, & conducto, & capite *Dilecti*. solum de prædiis conductis mentionem fecit. Tamen probabilis existimat oppositum: & quando videtur: illa prædia conducta, vel in emphyteusim accepta habentur à religiosis. Respondet: habentur secundum quid, hoc est ad tempus, sicut domus locata, conducta, non dicitur esse mea, neque ego habere absolute domum, sed vnum illius ad habitandum, &c. Adde: Contractus emphyteuticus à locato & conducto ferè non distinguitur, nisi ex maiori, vel minori tempore; quæ non debent contractus naturam mutare. Et hic motus decreti mihi probatur. Hucusque Palus; cui adde Pelizzarium in *Man. Regular. tom. 2. tract. 8. capit. 7. sect. 1. numer. 175.* & Zambellum in *reper. Mor. verb. Decima. numer. 3.*

2. Sed absolute aduersus Palam & Suarez tenet negatiuam sententiam Hieronymus Garcias in *Politica Regularium, tomo 1. tractatu 8. diffusul. 3. dub. 2. punct. 4. numer. 13.* ubi sic ait: [Finalmente, si un Conuento toma algun Campo à enfiteosis: no passando en el dominio directo, y siendo el contrato para tiempo determinado, pareceles à Suarez, y Castro, que no queda libre,] iuxta *legem 1. iuncta Glossa vltima ff. si ager emphyteuticus petatur*, però à la verdad dello ai poco vto en las Religiones, porque no quieren tomar campos con derecho de decimas, y all procuran redimir las por concerto: però en rigor parece que el que tiene privilegio para no pagar lo arrendado, mayor le tendrá para no pagar lo que tiene à enfiteosis, do censo, pues quien dà lo mas, es vto dar lo menos; y Suarez que tiene lo contrario fundase, en que se figuria que de lo conducido no se auia de pagar decima; lo qual iuzga por absurdo, però nosotros no lo tenemos por tal, pues Martino V. nos lo concede. [Ita ille; cui adde Leandrum, de *Præcept. Eccl. tractatu 6. quæstione 35. & 49.* & Ioannes de la Cruz, de *Statu Religionis lib. 2. cap. 9. dub. 4. concl. 2.* sic asserentem: Religiosi non tenentur decimas soluere de suis bonis mobilibus, & immobilibus, possessionibus, & prædiis, præsentibus, & futuris, etiam ab aliis conductis: dum tamen illa suis manibus vel sumptibus excolantur, aut pro sua sustentatione excolli faciant. Nec tenentur decimare de pratis, herbis, pascuis, nutrimentis Animalium, & Pastorum eorundem. Ita concessit fratribus de Guadalupe Gregorius XI. Martinus V. & Paulus III. anno 1535. vt habetur in Compendio Diui Hieronymi in *Decim. exemptio §. 1. 1. 15. 16.* Sic ille. Vnde video opinionem Azorij quam impugnat Palus habere pro se plures Doctores.

3. Dicendum itaque videtur cum Raphaelè de la Torre, in *2. 2. tom. 1. quest. 87. disp. 7.* quod si privilegia Regularium dicant eximere à decimis omnia Religiosorum propria bona, debent quidem ex agris conductitiis decimam soluere, quia bona emphyteutica: aut conductitia non sunt Religiosorum bona: & sic est intelligendum *cap. cit. Dilecti*. At si verba privilegij sint: *ne quis soluat decimam ex prædiis, quæ habet*, ad emphyteuticos, & conductitios probabiliter extenduntur, & ad *cit. cap. Dilecti*. Secundo respondetur, Pontificem loqui de privilegijs quibusdam, in quibus duntaxat concedebatur, ne Regulares decimas soluere ex fundis, quos propriis laboribus, & sumptibus colerent; & ideo ait Pontifex eiusmodi privilegium ad agros conductitios minime protendi.

4. Sed aduersus supradicta insurgit Ferdinandus Ortiz de Valdes, in *doctr. & eruditâ defensione illustringissimi Domini mei Domini Ioannis Palensis Episcopi*